

269

I. N. J.  
PERMISSU  
AMPLISSIMI ICTORUM  
ORDINIS

In Academia Lipsiensi

Ad

Ventilationem

DISPUTATIONUM XXIX.  
STRAUCHIANARUM

ad

Universum Jus Justinianicum privatum  
artificiose conscriptarum

ab

Infra nominatis suscipiendam

Nobilissimos Juris Studiosos  
amanter invitat

ANDREAS MYLIUS, J.U.D.&P.P.

Literis JOHANN. GEORG.

C 210



## Urisprudentiam, sacram il-

lam disciplinam, non ex vanis Dd. opinionibus, sed ex Legibus, ceu fontibus addiscendam esse, vel inde apparet, quod leges nihil aliud sunt, quam norma, secundum quam actiones humanæ in civili societate sunt dirigendæ.

*Lex est fundamentum* inquit Aristoteles. 3. *Rhet.* 17.

Et Marcianus in l. 2. *π. de LL.* *Lex, inquit est omnium*

*divinarum & humanarum rerum regina. Oportet eam esse præsidem & bonis & malis, & principem & ducem esse, & secundum hoc regulam esse iustorum & iniustorum & eorum, quæ natura civilia sunt animantium præcepticem quidem faciendorum, prohibetricem autem non faciendorum.* Quod verò est fundam-

entum, illud ut prius cognoscatur necesse est. Deinde constat abundè satis, jurisprudentiam in ipsa applicatione juris ad facta consistere

*l. 2. §. 5. & 13. π. d. O. F.* Sed quis quæso, ejus, cujus nullam consequitur veram notitiam, faciet applicationem? Hinc qui sepositis legibus, nudis

Dd. placitis nituntur, pro luce tenebras, pro nucleo corticem accipiunt, ita ut si postea ad causas orandas adhibeantur, maxime dubios & incertos in vasto illo juris Oceano se versari, nimis serò deprehendant. Pro-

inde veteres Jcti illud unice egerunt, ut omnia ipsorum dicta vel scripta ne hilum quidem à legibus recederent, sed iisdem propemodum essent consentanea.

Nec aliam rationem informandæ juventutis esse voluerunt tum illi, tum Academiarum nostrarum fundatores, quam ut adolescentes à principio statim secundum textum Institutionum Imperialium, Pandectarum &c. ducantur, ut controversias quotidiè occurrentes non ex proprio cerebro, vel superstitiosis Dd. opinionibus, sed ex ipsis legum fundam-

entis decidere discant. Ast licet hæc, quæ jam adduximus, adeò sint certa, ut nulla unquam firmâ ratione everti queant, non tamen defuerunt hæc-

tenus, qui legum doctrinam vel penitus eliminandam vel non magno-pere attendendam esse duxerunt, alium & singularem planè ordinem sibi fingentes, secundum quem universam Jurisprudentiam brevi temporis spatio tradere nituntur. Sed verendum, ne res illa desperati sit laboris. Non

equividem simpliciter eorum improbamus scripta, in quibus jurisprudentia, methodo justiniana posthabita, in formam artis accuratè satis reperitur redacta. Esse enim aliquid, quod circa ordinem vel Institutorum vel Pan-

dectarum possit moneri, non negamus. Sed hoc saltem volumus, totam jurisprudentiam sub certo ordine ab initio statim tyronibus juris offerre velle nimis periculosum esse. Periculum enim est, ne à fontibus legum abducantur, vel sibi familiares reddant varias Dd. opiniones, quas aliquando cum maximo sui detrimento dediscere coguntur. Longe tutiori via

incedunt, qui ante omnia textus Institutorum Imperialium explicationi se

com-

com-

com-

com-

com-

com-

com-

com-

com-

com-

com-

com-

com-  
decta  
ta eo  
haud  
facen  
He r  
fed a  
ofam  
nis e  
ctaru  
gant  
dæ;  
stin  
pote  
quæ  
men  
viru  
Mæf  
dispu  
tam  
gent  
re po  
cert  
debi  
juve  
hac  
libu  
bus  
cog  
mag  
diffe  
neu  
deci  
ner

D

D

D

D

committunt, & ubi juris principia exinde bene acceperunt, lectioni Pandectatum se accingant. Quod si fecerint, jam vera legum fundamenta eos sentire oportet, quorum adminiculo ea, quæ à Dd. hinc inde tradita, haud difficulter percipere, & citra ullum studiorum periculum nota sibi facere possunt. Consentiant nobiscum magni nominis Jcti & imprimis Hermannus Vultejus, qui licet ipse Jurisprudentiam Romanam singulari, sed artificiosâ præceptorum juris dispositione ediderit noluit tamen studiosam juventutem ab initio eidem immergere, quin potius in Prolegomenis ejus expressè adolescentes hortatur, ut textum Institutionum, Pandectarum & Codicis diligenter, prima vice etiam sine ullo Commentario legant. Crediderim ergo, aliam esse rationem jurisprudentiæ addiscendæ; aliam componendæ. Illud, ut secundum seriem librorum juris Justinianeorum fiat, erit tutissimum; Hoc vero pro cujusq; arbitrio fieri potest. Post textus librorum juris explicationem, commodum erit ea, quæ inde accepimus assidua repetitione recolere, vel tacita cognitione ac mentis veluti discursu, vel cum alio per disputationem. Quorum alterum virum quidem facit sapientem, alterum vero artificem. Egregiè Jacobus Mæstertius in *pr. Dissert. de Artificio disputandi juridicè*, inquit; *Cum alio suscepta disputatio docet simul & exercet. Præcipuè si is sit fortis & rigidus, qui nos premit, & tam à dextris quam sinistris stimulat, tunc enim imaginatio ipsius excitat nostram. Urgent contentio, zelus ac gloria, & extra nos ipsos efferunt, ita ut eò simul facile pervenire possimus, quo singuli nunquam poteramus.* Tanta igitur cum sit istarum concertationum utilitas, ideo studiosos adolescentes vel maxime decet, iisdem debitâ solertiâ assidue incumbere. Probè hoc considerarunt sequentes juvenes nobilissimi, numero XIV. Hi enim toto illo tempore, quo in hac Academia morati, nihil aliud egerunt, quam ut præcognitis generalibus juris principiis ex ipsis fontibus Jurisprudentiæ petitis, ventilationibus privatis postea sese committerent, ita, ut quæ antea erant cognita per disquisitiones institutas optimè digerere possent. Et quo magis se firmarent, nunc JOHANNIS STRAUCHII, Celeberrimi Jcti, dissertationes Theoreticò-Practicas XXIX. ad universum jus Justinianæum accuratissimè compositas, publice ventilationi exponere se velle decreverunt. Habebunt autem Disputationes, prouti sorte cuique obvennerunt, citra ullius præjudicium, sequenti ordine.

Dn. David Wolff/Dölit, Misn. I. XI. XXVI.

Dn. Johannes Gothofredus Köfner /  
Frauenst. Polon: II. XIV. XXII.

Dn. Reinhardus Jonathan Wnrub / llenb.  
Misn. III. XXI.

Dn. Johannes Heinricus Schindler / Schnee-  
berg, Misn. IV. XXIII.

Dn.

Dn. Christianus Henricus ab Osterhausen/  
Eqves Misn. v. XIII. XXIX.

Dn. Georgius Andreas Conradi, Zvvikav.  
VI. XVI.

Dn. Gothofredus Negelein/Reichenbach.  
Varisc. VII. XX.

Dn. Christian Friedrich Schwerdner/  
Lips. II X.

Dn. Georgius Breuerus, Zitta Lusat. IX.  
XII. XXVII.

Dn. Daniel Bernstein. Lips. X. XV. XXIV.

Dn. Augustinus Henricus von Essen/  
Hamburg. XIX.

Dn. George Gottfried Bey/Torg. Misnic.  
XVII. XXV.

Dn. Benjamin Preusse/Uratisl. Siles. XVIII.

Dn. Conrad Stieglitz Mutinens. Mis. XXIX.

Qui omnes & Respondentium & Opponentium vices alternatim sustine-  
bunt. Tractabimus hoc exercitium sequentibus septimanis, singulis  
diebus Mercurii & Saturni. Nobilissimos igitur juris Studiosos eâ, qua  
decet, humanitate ragatos cupimus, ut statis temporibus huic exercitio  
instituto interesse suaq; præsentia studia Dnn. Respondentium ulterius ex-  
citare velint. Enitamur sedulo, ne unquam sine fructu eos re-  
cessisse jure dici queat. P.P, Lips. d. 21. Jan,  
M DC LXXXIII.

